



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXVI. De appellatione, an & quando intret, & ad quos effectus; Et
de ejus interpositione, vel prosecutione; Nec non de transportatione
actorum; Et de aliis concernentibus Judicem, ac judicium ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

in ea peracte sint; Sive in iis, quæ in prima instantia ob apprehensionem in Curia, sive ratione rei sita, vel ex consensu Partium, aut alias agantur, quoties persona non sit cives, vel incolæ aut distractuæ, atque probabiliter videatur negativa cum requiratur qualitas cívica, vel domiciliaria hincinde, adeo ut non sufficiat, quod hæres, vel successor sit cívus, vel incola, si principalis erat externus, Millin. dec. 25. dec. 324. p. 10. rec. Rubeus ubi supra.

Ad effectum autem conformitatis; Generaliter, tam de Jure communis, quam statutario, ista desideranda non est in cortice, seu in figura verborum, sed sufficit in substantia veritatis; Unde propterea secunda sententia, quæ mandet exequi primam, seu quod alias virtualiter, & implicitè id continet, dicitur conformis, atque facit numerum, quamvis expressè id non dicatur; Præterquam ubi secunda lata esset in diverso judicio, seu in diversa actione, aut exprimeret causam omnino novam & diversam, quamvis quoad condemnationem, vel effectum, conformis esset, cum super illa nova causa, vel actione, revera dicatur prima, non autem secunda, apud supra allegatos. Et in summa vis est in ratione, sive in fine, vel effectu, ut ubi binum aditum conforme judicium super eodem, aliud exquirere non oporteat.

Bene verum, quod in causis præsertim gravibus, defactis, in casu huiusmodi Statutorum de duabus, numerus trium verificatur, atque in casu trium ad terminos juris communis solent esse quatuor, stante frequentiori stylo Signaturæ rescribendi de clausula *confito quod sit locus statuto*, sive *confito de duabus vel tribus*, dum ita in effectu, occasione disputandi super verificatione istius clausulae *confito*, alia formalis habetur instantia, in qua, pro Curia styllo, & præsertim Rotæ, admittuntur nova jura, & quandoque etiam novæ probationes pro causarum qualitate, juxta ea que in præcedentibus insinuata sunt, ideoque disputatur de meritis, perinde ac si causa esset nova, & integra.

Si autem conformitas sit in parte; Et tunc in ea parte attenduntur; Sive si secunda sententia novam adiicit causam, ut supra, quæ percutiat unum partem, & non alteram; Et tunc pariter idem dicendum, & sic generaliter in similibus, spectato, ut dictum est, fine seu effectu, vel attenta ratione, cui hac prohibitiō innixa est, adeo ut immorandum non sit in formalitate verborum, sed in substantia rei & veritatis.

Eadem conformitatem non tollunt contraria instantie intermediae, cum detur earum conjunctio, huiusmodi mediis non obstantibus, Franch. decif. 135. Rot. dicta pragm. 5. & 61. de offic. S. R. Conf. ista quoque opinio in praxi est magis recepta in Curia.

Quando autem conformitas revera adesse dicatur, necne; Certa, & generalis regula cuicunque casui applicabilis statui non potest, cum revera dicenda veniat quæstio potius facti, quam juris, decidenda ex facti qualitate, & ex singulorum casuum circumstantiis.

Prout facti potius, quam juris est altera quæstio, de qua in hoc proposito agi solet, quando scilicet quis dicatur cívus, vel incola, ad effectum comprehensionis sub huiusmodi Statuto, sive an superveniens diversa qualitas hæredis imminuet causa natum seu qualitatem, circa subjectionem, vel exemptionem respectivè cum similibus,

Verum, ut pluries alibi advertitur, tam huiusmodi Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

di Statuta, quam præfata dispositio Juris communis, circa hoc privilegium duarum, vel trium conformium, sive privilegium rei judicata ob non interpositam appellationem, vel ob eius desertionem, in Curia quodammodo ceremonialia videntur, quoziam ex recepta propositione, quod ea quæ disposita sunt de duabus, vel tribus conformibus, vel de re judicata, intelligenda sunt de validis & justis, quodque ad hunc effectum necessaria non est iustitia notoria, sed sufficit simplex, cum notoria desideretur pro extraordinario remedio professorio manutentionis, non autem pro illo restitutio in integrum, ut infra in eius Rubrica quoque advertitur; Hinc manat, ut etiam post tres conformes, vel post rem judicatam, jam diu servatum, in disputationibus super restitutio in integrum, concedenda, vel deneganda, agatur de meritis per apices juris, perinde ac si causa esset nova, & integra, ut infra agendo de restitutio in integrum advertitur, infra disc. 38.

De appellatione, an & quando intret, & ad quos effectus; Et de eius interpositione, vel prosecutio, nec non de transportatione actorum; Et de aliis concernentibus Iudicem, & judicium secundæ instantiæ.

SVMMARIVM.

- 1 DE questionibus, vel inspectionibus, quæ cadunt in materia.
- 2 Regulariter licitum est appellare in omni causa non limitata.
- 3 De duplice specie limitationis, vel prohibitionis, & de effectibus.
- 4 Appellatio non datur ab interloquitoria, & interposta non retardat processum.
- 5 Fallit accidente inhibitione, & si decretum gravat, devolvitur tota causa principali.
- 6 Non datur appellatio à sententiis, vel decretis provincialibus.
- 7 Quando, & quomodo debeant concedi inhibitiones, & de regulis quas tenere debent Metropolitani, aliq. Indices appellationis.
- 8 De causis in quibus appellatio renicit in totum etiam ad devolutivum.
- 9 De illis in quibus datur appellatio ad devolutivum sed non ad suspensivum remissivæ.
- 10 Appellatio coram quo facienda sit, vel fieri posset.
- 11 Per quas personas interponi possit appellatio.
- 12 Quomodo debitum constare de mandato procuræ.
- 13 Quid procurator non appellando, seu alias omittendo, præjudicet principali, non autem committendo, sed datur restitutio in integrum.
- 14 Quomodo interponi debet appellatio, an præcisè in scriptis, & quomodo soleat interponi.
- 15 De termino intra quem appellatio interponi debet.
- 16 Quando incipiat currere iste terminus, & de causa quod labatur ante sententie prolationem.
- 17 An contumax appetat, & quem terminum habeat ad appellandum.

DE IUDICIIS

160

- 18 Declaratur conclusio, quod contumax factus appelleret etiam post terminum, quomodo intelligi debat.
- 19 De tempore prosequitionis, & de diversis syllogia.
- 20 An terminus prosequendi appellationem posse restringi.
- 21 In beneficialibus an detur.
- 22 Quando detur in aliis causis.
- 23 De termino prosequitionis ex dispositione iuris Canonici in causis extra Curiam.
- 24 Quid in appellationibus interpositis in Curia, ad quid appellans teneatur, praeterea circa redditum pro apostolis, & incapsationem commissionis.
- 25 De fatalibus in causis curialibus, & de rationibus differentie inter causas curiales, & illas de partibus.
- 26 Appellatio non prosequuta intra fatalia remanet deserta, & sententia transit in iudicatum perinde, ac si nunquam esset interposita.
- 27 An ad hunc effectum requiratur declaratio, & a quo fieri debet.
- 28 Qualis sit praxis Curie in hoc proposito desertionis, & quomodo deberet occurri malitiis litigantium.
- 29 Infirmitas praebet iustum impedimentum, & an gravius et us.
- 30 Item paupertas, quod declaratur.
- 31 De pluribus aliis impedimentis.
- 32 In dubio an sit iudicandum pro desertione, vel contra eam.
- 33 An dicta impedimenta causent, ut non currat temporis, vel potius praebant causam restitutioni integrum, & quid referat.
- 34 Iudex appellationis non procedit non transportatis actis, alias nulliter.
- 35 An oporteat transportare omnia acta etiam irrelevantia, vel sufficientia relevantia, distinguuntur.
- 36 Quando integritas requiratur, etiam in iis causis, in quibus alias non esset necessaria.
- 37 Sufficit pro attentatis, vel similibus incidentibus transportare illa acta, ex quibus de illis patet.
- 38 Non sunt transportanda uita diverse.
- 39 Quando causa dicatur eadem, vel diversa.
- 40 Non sunt transportanda iura verbaliter tantum producita.
- 41 In odium impeditis habentur pro transportatis.
- 42 De aliis limitationibus, & quid ubi impedimentum proveniat a casu.
- 43 Non sunt transportanda, que iam habeantur per iudicium appellationis.
- 44 An sit necessaria transportatio, quando iudex procedat tanquam in prima.
- 45 An integritas in dubio presumatur, & quomodo
- 46 Appellatio suspendit sententiam, ac si latra non esset, & quando causet attentata.
- 47 De eadem conclusione, de qua supra num. 4. ut non detur appellatio a decreto interlocutoris in generali.
- 48 Idem de causis commissis appellatione remotae, vel de sententiis provisionibus.
- 49 Omnia ca. que desiderant celeritatem, adeo ut mora causet praedictum irreparabile non admittant appellationem suspensivam.
- 50 Quid sit in causa dotus, an sit executiva, ut dictam appellationem excludat.
- 51 Quid in alimentis, vel in legitima.
- 52 An in materia locationis, & conductionis detur appellatio suspensiva, & quando.
- 53 Quid in electionibus, vel provisionibus parochialium.
- 54 De decreto factis in visitatione.
- 55 An pro legatu competat via exequitativa, & quando.
- 56 Quid in possessoriis adipiscenda, & retinenda, distinguitur.
- 57 In specie de associatione, & quomodo ista debet concedi.
- 58 Et de manutentione.
- 59 Quare hodie sit in uso istud remedium, & non alterum reintegrationum.
- 60 De Constitutione Aegadiana ubi vigeat, & in quibus causis vel personis procedat.
- 61 De legibus, & statutis particularibus tollentibus appellationem suspensivam.
- 62 De denegatione appellationis ex potestate Principis, vel ex obligatione camerale, aut alio pacto exequitativo.
- 63 De via exequitativa in literis cambiis, & in aliis similibus.
- 64 De facultatibus Auditoris Camerae procedendi exequitativi.
- 65 De aliis causis exequitativis.
- 66 In omnibus causis exequitativis intrat appellatio, ratione nullitatis, vel iniustitiae.
- 67 An iudice, a quo admittente appellationem, causa sit appellabilis.
- 68 Quomodo iudex ad quem in gradu appellationis debet procedere.
- 69 In quo consistant partes iudicis in sententiando, confirmingando, vel infirmando iudicatum.
- 70 Sententia lata contra sententiam, ea non revocata, est nulla.
- 71 De adiunctione appellati, & an iudex appellationis condemnat in omnibus.
- 72 An possit unico contextu confirmare sententiam nullam, sed iustam.
- 73 De obligatione appellationis in ulteriori prosequitione appellationis.
- 74 An a voto Assessori detur appellatio.

DISC. XXXVII.

L At sententia diffinitiva, vel interlocutoria, seu provisionalis. Si illa Pars, quæ condemnationem passa sit, sive quod alias creditat talem sententiam esse sibi præjudiciale, aut quod præjudiciale affectet, pro colore, seu prætextu avocandi causam ab eo iudice, quem credat in ulteriori progressu parum sibi gratum futurum esse, appellationem interponat; Tunc pluribus questionibus hec appellatio causam præbere solet, tam circa ipsius appellationis substantiam seu genus, quam circa modum; Primo scilicet, an, & quando illa intret, necne vel potius tanquam injusta, & frivola, vel calamitiosa rejici debet; Secundo super modo cum quo interponat debet; Tertio super tempore in quo interponenda est; Quartio super tempore prosequitionis, sive super cursu fatalium; Quinto super modo prosequendi, & præsertim super transportatione actorum; Sexto super effectibus, qui ex appellatione resultant; Et septimo super modo, cum quo iudex appellationis, procedere, ac sententiarum debet; Quare de singulis agendo.

Quatenus

Quatenus pertinet ad primum; Juris regula generalis est affirmativa, ut scilicet appellare, liceat à quacumque sententia, vel alia Judicis provisione, per quam sententia quis se gravatum quoties per alteram Partem, quæ pretendet contrarium, non docetur de limitatione, quæ in dubio non presumitur, sed probanda est per allegantem. *Scacc. de appell. quest. 17. num. 1. & seqq. Bich. decis. 94. num. 3.*

Limitationum autem duæ sunt species; Una sci-
licet, quæ percutit omnino prohibitionem ap-
pellandi, ad utrumque effectum, tamen suspensivum,
quam devolutivum; Et altera, quæ percutit effec-
tum suspensivum tantum, non autem devolutivum,
atque super hac secunda specie, majores, & frequen-
tiiores in Curia sunt quæstiones, & presertim in Sig-
natura Iustitiae, super modo signandi commissiones
appellationis, vel super moderatione inhibitionum;
Et in Camera super modo inhaebendi. Ac etiam in
Tribunalibus Rotæ, & Auditoris Cameræ, ac in
aliis, super gestis post interpositam appellationem,
sive pendente termino ad eam interponendam, an
laborent, necce vitio attentatorum, cum id pendas
ab ista qualitate seu natura cause, ut superius in at-
tentatorum rubrica advertitur. De prima vero spe-
cie agi quidem aliquando solet in Signatura Iustitiae,
frequentius autem in illa Gratiae de quarum utroque
Tribunali habetur in *relatione Curie, disc. 3. o.*
& 31.

De prima itaque specie, ut neque ad unum, ne-
que ad alterum effectum, appellatio regulariter in-
tret, nisi per appellantem doceatur de gravamine,
quod regulariter non presumitur, nisi probetur,
tanquam per speciem limitationis; Sunt decreta in-
terloquitoria, quæ concernant ordinatoria judicis,
unde propterea donec superveniat impedimentum
inhibitionis Judicis ad quem, vel alterum supersel-
ectorum, quæ concedatur per Praefectum Signature
Iustitiae, cuius vice si explicare solet eius Auditor;
Vel per Auditorem Papæ, in causis pertinentibus
ad Signaram Gratiae, sive per Decanum Cameræ
in causis cameralibus; Judge huiusmodi applica-
tiones negligit, atque licet ad ulteriora procedit.
cap. non solam de appell. in 6. Caput aqu. decis. 34. par.
1. Rovit. super pragm. in Rubr. de appell. num. 12. &
seqq. Scacc. de appell. quest. 17. limit. 47.

Superveniente autem impedimentoo, ut supra,
abstinere debet ex regula quod inhibitio, sive justa,
sive injusta est timenda, quoties non intret aliqua ex
limitationibus hujus regulæ, quæ in praedicta at-
tentatorum rubrica insinuata sunt; Unde propte-
rea, vel coram eodem judge appellationis, qui inhibi-
tionem dedit, vel in una, seu altera Signatura,
aut pro locorum stylis, coram illo Magistratus ad
quem pertinet, disputatur de moderatione, cuius
concessio, vel denegatio penderet à gravamine, quod
ubi existat, illum operatur effectum, ut totam de-
volvat causam, etiam in negotio principali; Ex ea
congruacione, deducta ex regula *femel malus &c.*
ut cogi non debeat ille, qui appellavit, item sustine-
re coram eo Judge, qui eum à gravate, cum ita-
fili redditus sit suspectus, *cap. ut debitus honor de ap-*
pell. Scacc. dicta quest. 18. limit. 47. memb. 3. Rovit.
pram. 17. de off. S. Regii Consil. num. 2. & 3.

Idem generaliter, eo modo quo in interloquoto-
riis, procedit in provisionalibus, in quibus regula
pariter est negativa, quoties verè provisionalia fint
cum aliquando sub verbali pallo provisionis, diffi-
cilitate decerni soleat. *Scacc. dict. quest. 17. limit.*
7.

Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.

Super concessionem verò huiusmodi inhibitionis,
circumspectè procedi solet, ac debet; Ideoque
respectu Metropolitanorum, Sacra Congregatio
Concilii, tam sub Clemente VIII. quam postea sub
Urbano VIII. quadam edidit decreta generalia
prescribita quomodo, & quando, appellations
recipi, atque inhibitiones concedi debent, *tit. de iuris d. disc. 49. tit. Miscellan. disc. 1. num. 74. & in Colle-
gan. ad Concil. Trident. disc. 33.*

In Curia vero per Apostolicas Constitutiones,
qua super reformatione Tribunalium prodierunt,
prescribitur Auditori Camera, eiusque Locumen-
tibus, ac Notariis, idem modus, ad occurre-
dum fraudibus, & impedimentis, quæ cum huius-
modi inhibitionibus praeflari solent, cum notabilis
præjudicio alterius Partis saltem circa jacturam
temporis, & expensarum pro moderatione obti-
nenda. *Constit. 74. Paul. V. super informat. Tribu-
nal.*

Et respectu illarum appellationum, super quibus
procedendum est per commissionem, sine qua inhibi-
tio concedi non potest, ut contingit in causis
Rotalibus, ac etiam in Praelatitiae, ut potest per viam
delegationis; Praefectus Signature, Iustitiae, dili-
gentem, atque in materia practicum habet mini-
strum, qui Revisor commissionum appellatur, ad
quem pertinet rejicere illas appellationes, quibus
obst regula, unde propterea appellantis adeunt
Praefectum, vel Signatarum plenam, que gustare
solet de praetento gravamine, priusquam decernat,
quod commissio signanda sit, *dicto disc. 31. in rela-
tione Curie.*

Ubi verò agatur de sententia diffinitiva, vel de
decreto, quod habeat vim diffinitivæ, quia nempe
decisoria concernat; Tunc verè, & propriè intrat
dicta regula generalis affirmativa; Verum illa quo-
que plures patiuntur limitationes; Puta, ubi agatur
de sententia Judicis procedentis appellatione re-
mota; Sive ubi de sententia Principis, vel alterius
supremi Magistratus; Ut (ex. gr.) in Curia sunt,
Sacra Congregationes Cardinalium, ac etiam ali-
quæ Congregationes Praelatitiae, putat Montium
& Baronum; Et alibi est Praefectus Prætorio, sive
illud Tribunal quod eius vice subrogatum suppo-
natur; Unde propterea intrent termini supplicatio-
nis, non autem illi appellationis.

Et generaliter reputari solent causa breviores,
qua certam summam non excedant, pro Ditionum,
vel Tribunalium stylis; Ut in Curia reputantur
causa, quæ sint infra summam scutorum quinqua-
ginta; Vel quod ex facti circumstantiis pateat evi-
denter, ac certum sit, quod appellatio sit notoriè
frivola & calumniosa, cum tunc, huiusmodi inanes
circuitus, qui calumniarum fomentum dicuntur
admittendi non sint; Unde propterea frequenter
Signature, in totum rejicere solet commissiones,
cum scripto Nihil, sive mandare earum laceratio-
nen, aut demandare moderationem inhibitionis
simpliciter, & ad utrumque.

Denegatur item appellatio simpliciter, ac omni-
nō, juxta hanc primam speciem, ubi ad sit res judi-
cata, sive ubi agatur de tribus conformibus, aut de
illis duabus, quæ ex Statuto seu privilegio vim
trium habeant, ut disc. præced. advertitur; In his e-
tenim casibus, superest aliud remedium restitucionis
in integrum de quo agitur disc. seq.

In altera vero specie sententiarum, quæ admit-
tunt quidem appellationem, sed ad effectum devo-
lutivum tantum, non autem ad suspensivum, unde
propterea appellatio non impedit exequitionem,

visi quando accedit inhibitio Judicis ad quem; Certa regula statui non potest, cum pendeat à singularum causarum, seu Judiciorum natura, & qualitate; Ipsaq; pro locorū legibus, vel stylis varia est, unde propterea magna digressio efficitur, velle recensere causas, quae istud habeant privilegium, dum neque volumen sufficeret; Potissimum vero dum infra, expleto processu judicij ordinarii, quod per sententiam diffinitivam terminandum est, & per consequens de sui natura admittit simpliciter appellatio nes agitur de judicis exequitivis, ac summaris, & privilegiatis, ideoque in eorum singulis insinuatur, an, & quando, privilegio, vel judicij natura non obstante, intret appellatio etiam suspensiva; Quare in suis respective rubricis, inspici potest; Ac etiam aliqua generalis insinuatio habetur in relatione Curia occasione agendi de utraque Signatura Gratiae, & Justitiae, & infra in sexta inspectione a gendo de effectibus appellationis.

Circa secundam superioris distinctionem inspectio nem super modo interponendi appellationem, ut ea legitime interposita diciverat; Regula est, ut per ipsum appellantem, vel per eius legitimum procuratorem appellatio interponatur, in eisdem actis cause, ac Judicis, qui sententiam protulit ut ita, tam ipse iudex, quam visor, scire valeant, quod appellatio interposita sit tempore debito, & per consequens, abstinere valeat, ac debeat ab exequitione, vel ab alio ulteriori processu; Ideoque clandestina appellatio extrajudicialis, sive etiam facta in diversis actis, non attenditur, neque prodest; Praeterquam, ubi ob Judicis, seu visoris potentiam, vel impedimentum, aut jussum timorem, appellatio excusabilis dici valitat; Itaque casu admittitur, atque legitima reputatur appellatio extrajudicialiter facta eorum honestis viris, sive apud alia diversi Judicis; Ideoque super hoc statutum non potest certa regula generalis, cum totum pendeat à facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, quando scilicet istud impedimentum, vel justa causa adefit dicatur, nec ne, *Scacc. de appell. quest. & decis. 356. par. 10. Buratt. decis. 202. & 771.*

Non tamen præcise necessarium est, ut appellatio coram Judice, à quo, & apud acta illius judicij interponi debeat, cum sufficiat quoque illam interponere coram Judice appellationis, vel coram Principe, aut coram illo Superiori Magistratu, ad quem pertinet appellationem admittere, cuiusque causam committere; Unde propterea in praxi receptum est in Curia, quod ipsa inhibitio obtenta ab Auditore Camerae, vel ab alio Judice appellationis, recte servit, appellationis, quamvis ista in actis Judicis à quo facta non sit, quoties eadem inhibitio obtenta fuerit in termino, qui ad hunc effectum per legem statutus est; Idemque ubi porrigitur commissio signanda per Præfatum Signaturæ Justitiae, quoniam quemadmodum in prima instantia, commissio succedit loco libelli, ita fortius est loco appellationis, *Seraphin. decis. 972. num. 15.*

Interponi autem debet, per ipsum principalem, vel per eius legitimum procuratorem, nisi de illis agatur causis, que populares dicuntur, quia nempe cuiilibet ad defensionem personæ, cuius interest appellationem interponi, agere, vel excipere licet, dum multo magis licet interponere appellationem, quæ species defensionis dicitur; Ut (ex gr.) sunt Ecclesia, Popillus, Amens, & alia similes personæ privilegiatae, que sub legis defensione, vel protectione vivant; *Scacc. de appell. q. 15. ex n. 43. & seqq.*

In non privilegiatis autem, necessarium non est mandatum speciale, cum sufficiat illud generale, quod pro causæ defensione datum est, etiam tacitum seu presumptum, quoniam illi, qui deputatus est procurator ad causæ defensionem, fortius data censetur ista facultas appellandi, quæ connaturalis, imò necessaria dicitur; Adeo ut adversus procuratorem non appellantem, concedatur actio ad interessu, quam tamen nunquam vidi practicari, *Scacc. dicta quest. 5. ex num. 21. Buratt. & add. decis. 585.*

Bene verum, quod licet ista negligentia procuratoris, prajudicet principali, ex regula alibi quoque insinuata, quod in iis quæ consistunt in omitendo, sive in negligendo, procurator prejudicat principali, quamvis fecus sit in iis, que consistunt in commitendo, sine mandato speciali, quoties ex qualitate actus non urgeat eius presumptio, ut in recursuum & attentatorum sedibus habetur; Adhuc tamen ista reputatur justa causa restitutions in integrum, ut infra *disc. sequenti* occasione agendi de hac restituzione adverteritur.

Quando autem, coram ipso Judice à quo, appellatio interponitur; Tunc certa forma in jure prescripta non est; Quæstione cadente, an præcisè necessaria sit scriptura, vel sufficiat ut ea ore tenus interponatur, illa tamen coram Judice fieri debet, & non sufficiat coram Notario, nisi stylus alter suadeat, vel Judicis præfentia non habeatur. *Buratt. & add. decis. 202. Cels. dec. 228. num. 4.*

Nimium tamen rari sunt casus, in quibus ita interponatur appellatio, dum præfertim, pro Curia praxi, illa interponi solet in scriptis, atque (ut vulgo dicitur) per schedulam in actis exhibitam; Quoties celerrim commissio ut supra, non eximat ab illius cautela necessitate; Stante siquidem stylo superiorius insinuato, habendi terminum citationis ad sententiam pro servato, atque sententiandi in illius fine, in quo expirat etiam terminus ad appellandum; Imò in Rota prius iste, quam ille terminus expirat, incerta autem sint Partes, an & quomodo pronuntiandum sit; Idcirco absque necessitate faciendo in anem sumptum, super commissione, interponi solet appellatio per schedulam in actis cum claulula *quatenus contra & in parte & partibus, &c.*

Tertia est supradistincta inspectio super temporis, intra quod appellatio interponi debet, ut legitime interponatur, fuosque operetur effectus; Atque regula est, ut interponi debeat infra decem dies, isteque terminus præfinitus à Jure civili immutatus non est à Jure canonico, atque in hac parte totius penitus illius Orbis, qui cum legibus scriptis communibus vivit, praxis videtur uniformis, *de cis. 201. par. 13.*

Difformitas autem esse solet in initio seu cursu disti termini, an scilicet illiq; ab ipsa die latè sententie, vel potius à die eius intimationis, per quam certa scientia inducatur, dum in aliquibus partibus ista intimatione est in usu.

Curia vero praxis est quod terminus currit illi cō à die late sententie, atque (ut aliqui dicunt) de momento ad momentum; Quinimodo quod magis est, ubi etiam sententia, verè & realiter, inspecta naturali veritate, non proferatur in ipsa die, seu termino cadentis citationis, seu juxta stylum superiorius insinuatū, habeatur terminus pro servato, adeo ut integrum sit pronunciare intra decem dies, & in Rota infra quindecim, atque in eo pro servato qui habetur in ultima Rota, in qua indicuntur vacaciones

tiones generales pene per mensem, nempe usque ad Congregationem generalem expeditionum, datur res judicata illius sententia, quæ adhuc nata non est, scilicet retroactio ad ipsam diem cadentis citationis, Res quidem exorbitans *ead. dec. 201. par. 13. rec.*

Ea tamen adhibetur distinctio quod, aut neglegit, aut dicta fictione, sententia profertur in ipso die seu termino, Parte, vel Procuratore presente, adeo ut scientia sit certa & inexcusabilis; Et tunc terminus curat illico, atque sine dubio resulteret res judicata perfecta, adeo ut aliud non superfit remedium, nisi illud nullitatibus vel alterum restitutioonis integrum, de quibus *discequentibus*.

Aut Pars citata non comparet in termino, unde propterea, juxta frequentiorem praxim, sententia profertur in contumaciam; Et tunc distinguitur inter contumacem verum & fictum; Verus enim dicitur ille, qui ad sententiam personaliter citatus est, ipsomet, vel eius procurator, juxta praxim Rotæ, & aliorum Judicium commissariorum, in illis causis, in quibus Pars comparuerit, adeo ut non sit processus per contradictionem, Fictus autem est ille, qui citatus est domi, juxta stylum Tribunalis Aud. Cam. aliorumque Tribunalium ordinariorum, Sive quod ob non comparitionem in prima citatione generali, totus processus sit contumacialis, unde propterea fiat ista citatio ad sententiam per contradictionem; In casu etenim contumacia ficta, ex quadam æquitate de styllo recepta, admittitur semper appellatio infra decem dies, à die scientie, quæ verè habita sit, ita rationabiliter commiserando Partes litigantes, quibus ex negligencia, seu ex collusione procuratoris, istud notabile parari solet præjudicium non appellando infra legitima tempora *supradictio*.

8 Beneverum, quod ista æquitas, intelligenda venit pro sola habitatione contumacis ad apppellandum, etiam post terminum, & ne sibi obstat valeat rigor regulæ, quod contumax non appellat, quoties res fit integra, quia nempe ad executionem deventum non sit, Secus autem si res integra non sit, adeo pretendatur retractatio executionis ex virtute attentorum, quoniam victori sufficit expectasse lapsum termini juris; Atque ad id advertendum erit, quoniam non temel in hoc multum laborare oportuit, ut id suaderetur aliquibus ex illis Judicibus, qui nihil scientes per causam, seu per rationes, sed solum per traditiones, habendo in mente alias propositiones generales, ex illis, quæ in suis casibus vera sunt, deducunt falsas consequencias; Puta ad rem, ita argui solet; Cetera est regula, ut totum id, quod fiat super executione sententia appellabilis, pendente termino ad apppellandum, dicitur attentatum; Sed in contumace terminus ad apppellandum est totum tempus, in quo scientia certa non habeatur; Ergo totum id quod in hoc tempore gestum sit, dicendum est attentatum.

Verum error consistit in non adverte falso, quod scilicet, iste non dicitur terminus, qui de jure competat, ideoque impedit, ne sententia transeat in judicatum, sed est quaedam habilitatio ex æquitate inducta à styllo, ut fieri possit extra terminum id, quod de stricto rigore fieri non posset.

Quarta est inspeccio circa prosequutionem appellationis jam interposita; Atque in hac parte magna dignoscitur varietas circa praxim Tribunalium, vel dispositionem Jurium; Siquidem de jure civili, terminus prosequutionis, est quadragesima-

ta dierum ad comparendum coram Judice appellatio, & obtinendum inhibitionem; Hisque sequuntur ad ulteriore progressum causæ, intrat ille terminus, qui producit peremptionem instantiæ; Di- 20 tisque terminus quadragesima dierum in Curia vel Tribunalibus laicalibus Regni Neapolitanæ per illius leges particulares, ampliatus est ad alios decem dies, & sic est dierum quinquaginta; De styllo tamen quantum sufficit memoria, pro praxi adolescentia, admittitur in Judice à quo facultas abbreviandi istum terminum, juxta maiorem, vel minorem distantiam loci, in quo degat, Judex appellationis; Ut præfertim habetur in Curia baronialibus, stante frequentiori usu, quod Barones habent etiam secundas, Et aliqui magis privilegiati habent quoque tertias instantias; Unde propterea deputare solent in Judices hujusmodi instantiarum aliquos Juris peritos locorum adjacentium, & sic Judex a quo, de hoc recte conscius, abbreviando dictum terminum, qui alias competit, alium præfigit, qui congruus videatur, *Vestr. & add. libr. 7. c. ult. Rovit super pragm. in Rubr. de appell. in princip. Ciriaco contr. 33. Muscatell. in prax.*

Quid quid autem sit de praxi in dictis Tribunalibus, ac in aliis diversorum principiatus, seu locorum (cum pro meo judicio erroneum videatur agere de stylis & praxi, in quibus non sit quis versatus;) Quatenus pertinet ad praxim Curia; Quamvis de jure regula videatur, ut terminus datum ad prosequendum, possit restringi, quoties tamen restrictio sit quoad ipsum appellantem, circa ea quæ pendent ab eius facto & diligentia, ut scilicet judicem appellationis adire debeat, atque coram eo causam introducere, servando ea, quæ ad hunc effectum servanda sunt, non autem ad determinandam causam, sive ad faciendum ea, quæ pendent, potius à facto judicis, quam à facto Partis, quoniam ita est superiori legem imponere, quod non licet inferiori; *Burratt. dec. 17. n. 21. & seqq.* Adhuc tamen ista præmissio non videtur esse in usu in appellationibus quæ in ipsa Curia interponantur, ob diversam praxim magis rigorosam, super commissione causa, ut infra, solumque de hoc disputari aliquando contingit in causis de partibus, quod scilicet Judex à quo, terminus juris abbreviaret, ut præfertim contingit in Curia Episcopali, vel Metropolitanis præfati Regni, aliorumque dispositionum, vel principiatus, ex consueto errore, procedendi cum stylis, & cum praxi Tribunalium seu Curiarum secularium, non advertendo, quod ipsi regunt forum ecclesiasticum, ideoque procedere non debent cum iure civili seu laicali communii vel particulari, sed cum iure canonico, atque quantum fieri potest se conformare cum praxi Curie Romanae, utpote eorum metropolita, & in qua in gradu appellationis agendum est de confirmatione, vel confirmatione eorum, quæ ab ipsis gesta sint.

Siquidem, ubi agitur de causis beneficialibus, ista restrictio indehinc non admittitur, nisi de Partium consensu, *add. ad Vestrum dicto c. ult. nu. 24.* In aliis vero causis prophanis, seu indifferentibus, non admittitur dicta abbreviatio, nisi accedat admissio appellationis, secus autem si Judex illam non admiserit, adeo dederit refutatorios, quoniam tunc concedenda non est facultas abbreviandi prosequitionem illius appellationis, quam ipse respuit; *Burratt. dec. 170. num. 25.*

Et nihilominus, etiam quod ista admissio sequatur, adhuc tamen pro meæ diurnæ forensis vita

notitia (quamvis in Advocatis Curia, penè nulla vel nimium modica esse soleat notitia eorum quæ in praxi consistunt, cum in eis non se ingerant;) ista præsumitio, seu abbreviatio in consideratione haberi non consuevit; Vel quia, inhaerendo ut supra, stylo, vel praxi Curiarum secularium; statui soleat terminus nimium brevis & indiscretus; Vel quia in hac materia rei judicata, Curia nimium benignè procedit, atque semper audit appellantem, ut occasione agendi de restitutione in integrum dissequenti adverterit.

In causis itaque extra Curiam, à sententiis ordinariorum seu Metropolitanorum, aut Legatorum, & nunciorum, aliorumque Iudicium, proceditur cum dispositione Juris canonici, qua attenta terminus ad prosequitionem appellationis est anni, & ex causa est biennii.

Quamvis enim circa secundum annum, non modica sit quæstio inter scribentes, cum consueta opinionum varietate, an oporteat, ut ex parte appellantis doceatur de justa causa, ad eòt alias solus lapsus anni sufficiat ad appellationis desertionem; Attamen de stylo receptum est, ut indefinitè bienium concedatur, decr. 82, par. 10 recent.

Quare ab aliquo moderno tempore, me id instigante magistro meo Andosilla, prius ingeniosissimo ac magno Advocate, Signature Justitia Decano, incolvit praxis, quod clafso anno, præfigitur appellanti terminus competens, putà unius mensis ad transportandum acta, & prosequendum appellationem; Si minus, ut Juxè à quo, ad exequutionem eius rei judicata procedere valeat.

Quo vero ad causas Curiales, quod scilicet agatur de appellatione interposita à sententiā lata in Curia. Appellans premittit quibusdam rigorosis obligationibus, quod scilicet tenetur infra triginta dies post interpolitam appellationem redire pro apostolis, atque alias censetur appellationi renunciare, nisi prius curaverit causam committi, vel quod diligentias ex eius parte adhibuerit pro commissione, cum tunc iste actus non requiratur; Gregor. & add. dec. 573. Buratt. & add. dec. 556. & 743. dec. 228. p. 12, rec. 345. p. 10. in quibus habentur declarations. Verum id parum in praxi auditur stante stylo, quod in ipsa schedula appellationis, cum clausulis pro consueto formulario adjici solitus in stria soleat de apostolorum response, seu concessione, atque diligenter dari commissio; Et per consequens, raro forsitan ex isto capite defertur inducitur.

Magis autem, frequenter disputari solet de alio rigore; quo appellans præmitur redimendi commissionem à banco cursorum, sive procurandi illius incapsulationem, quod sonat in idem, infra alios decem dies post interpositam appellationem, si minus censetur quoque huic renunciatum, adeo habeatur, pro non interposita, nisi factæ sint diligentia ex parte appellantis, per quem non steterit; Merlin. dec. 56. Bur. & add. dec. 764. dec. 275. & 483. par. 9. rec. repetit. decr. 59. & 84. post Merlin. de pignor. decr. 236. ead. par. 9. & sepius cum totum pendeat ex circumstantiis facti, id quoque non datur certa regula. Istumque rigorem quandoque vidi practicari in dicto casu exorbitanti, illius scilicet spatii, quod decurrit infra ultimam Rotam memorialum vocationum generalium astivarum & congregationem generalem expeditiōnū circa Kalendas Augusti, quod scilicet, cum infra decem dies termini habiti pro servato adhibita fuisset cautela dandi scedula appellationis cum clausula quatenus contra, negle-

ctum fuit incapsari commissionem in alio termino, eo quia adhuc edita non esset decisio, atque incertum esset, an post illius editionem Rota concessura esset novam audientiam, vel demandare deberet expeditionem in ipsa congregatiōne generali, cum id pendere soleat à fundamentis decisionis, & an pertendo novam audientiam, aliqua deducantur facti vel juris motiva relevantia contra eius fundamento; Idcirco nimium asperum ac exorbitans videbatur, ut de adeo præjudiciali negligenti imputari deberet ille, qui adhuc incertus erat, an demandanda esset expeditio in vim illius decisionis, que adhuc edita non erat, in casu de quo in Romana fideicommissi de Fabris sub tit. de fideicommissi in supplemento, & dec. 201. par. 13. rec. Solct autem iste rigor (qui verè de iudaismo sapere videtur) (de facili temperari, quoniam constet quod aliqua diligentia ex parte appellantis fuerint adhibit).

Quatenus vero (sequuta in tempore incapsione commissionis) pertinet ad fatalia pro actorum transportatione, & pro causa prosequitione; Differentia quoque dignoscitur inter causas Curiales, & exteris, quoniam in prima specie non viget illa ratio majoris dilationis, qua viget in secunda, ob diversam rationem distantiae, & incommunitatis itineris, ac majoris sumptus, in transportatione, vel transmissione actorum; Ac etiam quia (ut valde frequens praxis docet) Ordinarii, seu Metropolitanani, vel Legati, aliisque Superiori, vel Judges ecclesiastici de partibus, ut plurimum ægrè ferre solent appellationes ab eorum sententiis, quodque in Curia illae revideri debent, experti forte, quod ut plurimum ob male servatum ordinem judicarium, eo quia sequentes stylos Curiarum laicalium, respettere nolunt ad dispositionem juris canonici, vel ad imitandum eam praxim quam imitari deberent, revocationem pati solent ex capite nullitatis, ad eò ut in Curia per ora practicorum volent dicterium, processus de partibus, ergo nullus, & sic impedimenta, & difficultates non modice haberi solent, unde propterea sepius oportet illa ab invito obtinere per viam compulsoriæ; Ac etiam quia Notarii, sive aclarari exorbitans petere solent solarium, pro copia seu transumpto processus, que omnia cessant in Curia, ubi prompe, etiam in una hebdomada transportatione fieri potest ab uno Judice ad alium; Et per consequens solum spatium unius anni reputatur sufficiens, quinidem excessivum in Curia, ubi saltem ad aliquos actus deventum non sit, Bich. decr. 48. num. 2. Romana pecunia, 12. Junii 1671. 11. Ianuarii, & 22. Ianuarii 1672. coram Rondanino. Hæredi vero datur aliquis major terminus quatuor mensium, dicta decr. 82. par. 10. rec.

Quare (juxta proportionem,) quoniammodum ubi juxta opinionem, quam praxis recipit in causis exteris, fatalia durant ad biennium; Et tamen Signatura, clafso anno, præfigit terminum; Ita in causis Curialibus, primum spatium, seu fatale unius anni, dimidiari deberet, atque elapsi sex mensibus, procedi ad preficationem termini; Imò pro causarum, & Partium qualitate, etiam quandoque intrā breviorem terminum, cum iste moræ neci soleant affectatè ad defatigandum vietorem, seu appetitum, qui propterea, pro frequenti contingencia, ad obtinendum finem litis pati cogitur illum sumptum, quem facere deberet appellans in transportatione actorum, quam ipse faciat, cum incerta spe recuperandi expensas in fine litis; Ideoque erroneum videtur generaliter procedere cum hujusmodi formalitatibus, in omnibus causis, non distin-

stingendo singulorum casuum circumstan-

²⁶ tias.
Elapso igitur uno, vel altero spatio, quod, sub fatalis, seu fatalium vocabulo explicari solet; Appellatio remaneat deserta, perinde ac si nunquam interposita esset; & per quandam speciem implicita renunciationis; ideoque sententia transit in judicatum, atque cessato impedimento, quod appellatio praefat Judici à quo, iste suam reassumit jurisdictiōnem, suamque sententiā am citra vitium attentato-
rum exequutioni demandare potest. *Buratt. decis. 885. dec. 233. par. 7. dec. 177. & 143. par. 10. & se- pissimē.*

Aadhuc tamen intrat quæstio, quæ consuetam ²⁷ habet opinionum scissuram seu varietatem, an scilicet ista desertio, vel res judicata, resulset ipso jure, vel potius requiratur sententia declaratoria; Probabilior tamen, magisque in praxi recepta videtur opinio, ut declaratoria requiratur Judicis ad quem quando iustus inhibitus ad sit, explicita, vel etiam implicita, cum citatione ad dicendum contra commissionem, cum tunc non licet Judici à quo, tanquam inferori, sibi ipsius dicere, suaque auctoritate tollere impedimentum, quod superior sibi in-
tulit; Sed solum id ei conceditur, quando impedimentum proveniat à lege, ob appellations interpositionem infra legitima tempora; Potissimum quia adesse potest justa causa, quæ ut infra hujusmodi lapsus fatalium excusare solet. *Cavaler. decis. 317. & 333. dec. 226. par. 10. rec. & in aliis.*

²⁸ Curia vero praxis est non procedendi ad hanc explicitam declarationem, sed eam faciendo impli- citate, quoniam ubi hominis inhibitus accedit, per appellatum peti solet moderatio inhibitionis, seu remissio cause Judici à quo ab eodem Judge ad quem, vel à Signatura.

Quando vero adest sola inhibito legis, tunc ci-
tatur appellans, cum præfinitione aliorum terminorum, iuxta formulæ, quas nudi Practici regi- strant, ad docendum de appellatione ejusque legitima prosequitione, sin minus videndum mandari procedi ad ulteriora in exequitione, Ita que præ-
finition termini ad transportandum acta, fieri quoque solet per Judicem ad quem, vel per Signaturam, priuquam moderatio inhibitionis concedatur, ad- ducit si infra hunc terminum acta transportentur, inhibito reintegretur, sive denegetur decretum moderationis; Quinimò etiam isto novo termino elapso, re-integra, sequatur transportatio actorum, adhuc impeditur expeditio moderationis, sive con- ceditur reintegratio.

Ita vero benignitas, quæ originata est ex illa canonica equitate, quam Romana Curia ecclesiastica sequi profitetur, & quæ occasione probatio- num, vel productionis jurium, pluries in præceden- tibus insinuata est, ne scilicet ob hujusmodi legales rigores, vel formalitates, veritas, & iustitia, suffoca- te remaneant; Ex humana malitia inevitabili conditione, ob quam, omne bonum suum patitur corruptionem, vel fraudem, folementum prebere vide- tur calumniis appellantium, qui ita curant, defati- gare victores, atque causas in longum protrahen- dos, vincere per alterius Partis defatigationem, vel de- ficientiam, quæ interim sequuntur, dum ita resultat, quod absque novis citationibus, ac terminorum præfinitionibus durat inhibito, atque exequitionem pati non possunt, atque obdormiunt in prosequitione.

Inde etiam post hanc præfinitionem, aliquam faciunt transportationem, mancam & imperfectam ita affectando dilationes cum disputationibus super integritate, vel non integritate auctorum, sive super obligatione transportandi relevantia tantum, non autem irrelevantia; juxta ea quæ habentur infra in sequenti inspectione; Ideoque ista benignitas non uniformiter adhibenda videretur, sed quando verè facti circumstantiae eam suadeant, adhibendo aliquem majorem rigorem, pro cauſarum & personarum qualitate; Atque hinc manat frequentior præ-
xis supra insinuata, quod scilicet prosequitio ap- pellationis fiat potius per appellatum, quam per appellantem, quando iste sit idoneus; Sed malum consistere solet in eo, quod frequenter est pauper, sive alias ad id impotens, unde propterea, ob eius impotentiam à malitia appellantis, suffocatio- nem patitur.

Et consequenter, quædam modum etiam in pri-
ma instantia, pauperi collitiganti decerni solent alimen- ta, & sumptus litis; Ita fortius, & à majoritate rationem, eo ipso quod appellatus comparet coram Judge ad quem, ac dicit se velle prosequi appella-
tionem, & accelerare transportationem auctorum, sed quod non habet præ manibus expensas necessaria-
rias, deberet esse locus provisioni pro celeri co-
æctione appellantis ad subministrandum has expen-
sas, absque tamen illis formalibus disputationibus,
quæ haberi solent super dictis alimentis & sumptu-
bus litis, & præsertim circa justificationem pau-
pertatis, juxta ea, quæ superius in sua rubrica insi-
nuata sunt, ob magnam differentiam rationem inter
unum casum, & alterum, In illo etenim adest exor-
bitantia à jure, ut quis suum æmulum alere cogatur,
cique arma contra se ipsum subministrare, contra
ipsum naturalem sensum, ideoque concedendum non est, nisi ubi magna suppetat æquitas, ne pau-
peris iustitia suffocata remaneat, ac propterea con-
stat debet de tali paupertate, quæ est fundamen-
tum, vel causa hujusmodi exorbitantia; In præsenti autem, petitio non continet exorbitantiam, sed potius iustitiam, & æquitatem, ut occurratur malitiis,
& calumniis appellantis, cum cogendo ad id, ad
quod de jure tenetur; Et sic sufficere deberet talis
qualis etiam extrajudicialis informatio alicujus in-
commoditatis, quam appellatus patiatur potius
moraliter quam physicè, cum magna dignoscatur
differentia inter unum casum & alterum.

²⁹ Impedimenta vero, sive justæ causæ excusantes à lapsu fatalium, certam non recipiunt regulam gene-
ralem, cum pendeant ex facti circumstantiis, juxta singulorum casuum qualitates; Pro frequentiori autem contingenti, aliquæ recensi solent; Puta, infirmitas appellantis; *decis. 82. num. 7. par. 10. rec. Scacc. de appell. quæst. 15. num. 145.* Atque pro infir-
mitate attendi solet decrepita ætas, *ead. decis. 82. par. 10. num. 8.* Verum pro meo judicio erroneum videtur, ita generaliter ac indefinitè id attendere, quoniam si (ex gr.) agatur de viro nobili, vel divi-
te, qui alias, etiam in statu valetudinis, vel juvenis, aucta judicialia peragere solet, per eius procura-
tores, & ministros, neque infirmitas, ob extraordinarias expensas, quas parere solet, in eo causet impotentiam, vel alterationem status, tunc non vi-
detur quare infirmitas, vel gravis ætas, hoc impe-
dimendum præstare debeat.

Altera reputatur justa causa paupertatis, Verum paniter discreta, & pro facti qualitate intelligenda venit, *latè hinc inde Scacc. dida quæst. 15. num. 45. & 30. fogg.*

seqq. add. ad Vestr. lib. 4. cap. 4. num. 27. decis. 8. nu. 3.
par. 10. rec.

Mors item, vel absentia Procuratoris justam excusationem præbets; dicta decis. 32. par. 10. num. 10.

³¹ Bich. decis. 430. num. 5. Sive absentia vel carentia Iudicis; Thomat. decis. 232. num. 9. & 10. Aut tempus vacationis Sedis Papalis in Curia, vel aliud tempus accidentale, belti humani vel divini, præsertim istius posterioris, ut nostra ætate practicari vidimus, quod Iudicis omnino filuerunt. Seraphin. decis. 362. & plenè habetur in decisionibus supra allegatis n. 25. Sive quod ex parte appellati aliquod impedimentum præstitum sit; Scac. dicta quest. 15. num. 61. & seqq. & generaliter supra disc. 9. ubi de impediente. Vel quod fuerint disculæ nullitates, Scac. dicta quest. 15. num. 88. & seqq. Buratt. decis. 170. num. 19. cum similibus. Super quibus (ut premissem est) regula certa, & generalis non cadit, cum totum pendas à facti qualitate, & circumstantiis prudenter Iudicis arbitrio pensandis,

Ita vero pro meo sensu regulanda videretur quæstio, an in dubio pro cursu vel non cursu factium Iudicandum sit. Siquidem licet regula sit in dubio favore appellantis; Cavalier. decis. 495. Merlin. decis. 56. Buratt. & add. decis. 226. dec. 75. post Merlin. de pignor. Attamen discretae pro facti qualitate intelligi deberet.

Cadit item quæstio, an hujusmodi cause, vel similes, impediunt ipso jure lapsum temporis, adeo ut tempus accidentale debeat subduci, perinde ac si non occurrit. Vel potius currat quidem tempus, sed id præbeat justam causam restitutiois in integrum, iuxta illam distinctionem, quam (ex gr.) habemus in materia præscriptionis, inter tempus pupillaris, ac alterum minoris ætatis, cum similibus.

Hujus autem questionis effectus est notabilis, quoniam, si tempus currit, adeo ut ob desertionem appellacionis, lentiens translati in Iudicatum, unde propterea non competat remedium ordinarium appellacionis, sed solum extraordinarium restitutiois in integrum; Tunc appellans duplci subiecto præjudicio; Primo nempe, quod præmitur onere docendi de iustitia impedimenti, cum talibus circumstantiis, quæ impellant Iudicem ad interpolendum suum arbitrium, quod pro facti qualitate potest denegari; Et secundo quia si Iudex hoc beneficium denegat, unde propterea declareret rem Iudicatam, præclusa est illa ulterior instantia, quæ in casu cessantis rei Iudicata competere posset, cum facultate denuo appellandi in hoc secundo Iudice, quod nimium refert.

Ista vero quæstio, decidenda videretur, pro diversa qualitate impedimenti. Aut enim de illo agitur, quod generale ac notoriū, à iure indefinite probaturum sit, ut est illud belli divini, vel humani, seu vacationis Sedis Papalis; Et tunc tempus non currit, sed ipso jure subducendum sit, conjungendo extrema habilia, tempora scilicet non impedita *supra*; Et conseruant deducunt in materia præscriptionis *supra* disc. 21. Scac. dicta quæstione 15. num. 44. & seqq. Ut etiam de termino conventionali alibi advertitur *tit. de seud. disc. 57. num. fin.*

Aut vero agitur de impedimento singulari, & privati, cuius iustificatio pendas à particularibus facti circumstantiis, ut est illud infirmitatis, vel paupertatis, seu carcerationis, vel inimicitiarum, aut mortis, sive absentie Procuratoris, vel etiam calumniæ, seu malitiae istius, aut justæ ignorantia; ut contingat in hærede, cum similibus; Et tunc curreat *tit. de seud. disc. 57. num. fin.*

rat quidem tempus, sed subveniendum sit cum dicto extraordinario remedio restitutiois in integrum, super cajus iusta causa disputari solet, & quandoque concedi, quandoque autem denegari pro facti qualitate, Scac. dicta quæst. 15. num. 44. & seqq. dec. 8. par. 10. rec. Bich. decis. 665.

Quo vero ad quintam inspectionem, super modo prosequendi appellationem, & præsertim circa transportationem actorum; Regula est, quod Iudex appellationis, procedere non potest in causa confirmando vel infirmando ea, quæ per Iudicem prioris inflatione gesta sunt, nō transportatis integris actis illius instantia, ex quibus inspicere debet; An prior Iudex, bene vel male processerit, atque alias nulliter procedit. Mantic. decis. 170. & 197. Buratt. & add. decis. 313. & 405. decis. 35. par. 10. rec. & sapientia.

Intrat autem quæstio, super ipsorum actorum qualitates, sive integritatem, an scilicet omnia acta, tam relevantia, quam irrelevantia qualia cumque sint transportari debeant, vel potius sufficiat transportare relevantia tantum; Atque in hoc dignoscitur quoque consueta opinionum scissura seu varietas; Ea vero in praxi recepta videtur distinctio, inter causas ecclesiasticas, & temporales seu prophanas, ut scilicet in ecclesiasticis, & spiritualibus necessaria sit omnimoda integritas, tam relevantium, quam irrelevantium, tanquam per speciem forma præcise iudicata à Concilio Tridentino; Atque ad hunc effectum causæ spirituales dicuntur omnes illæ, quæ sint ecclesiasticae, id est que non capit ultimum terminus pro beneficiis tantum, ut in materia remissoria contingit.

Ubi vero agitur de causis prophanis, in quibus Concilium nil disposuit, ideoque proceditur cum dispositione juris communis; Quamvis pariter non desit varietas opinionum; Probabilius tamen magis que receptione videtur, ut sufficiat transportatio relevantium; *eadem decis. 35. par. 10. rec. & in aliis supra allegatis.* Quoties appellans non intendat impugnare sententiam ob alium defectum negativum, puta citationis, vel alterius actus, qui fieri debeat cum tunc oporteat transportare omnia acta, dum altera Pars dicere potest, quod in illis actis, quæ desunt id continetur; Nisi agatur de tali actu, qui de sua natura, per neceſſe contineri debeat in illis actis, quæ transportata sunt. Coccin. decis. 2343. Buratt. & add. decisione 264. decis. 147. par. 11. rec.

Quare in hoc proposito integritatis actorum, distinctione relevantium, & irrelevantium, prodesse solet, ad effectum sublinendi sententiam, vel aliam provisionem Iudicis, ad quem, quod scilicet altera Pars dicat de illius nullitate ex isto defectu transportationis actorum, qui regulariter talem nullitatem producit, cum tunc ad eam evitandam, ac sublinendum actum, de hoc queri soleat; Sed ubi ad hunc res sit in fieri, quia nempe, appellante instantiæ eorum Iudice ad quem, ut procedatur ad confirmationem sententiae, vel alterius provisionis Iudicis, à quo, cum actis jam transportatis, Appellatus objicit de non integritate, cum tunc si ista desit, illa demandari solet, atque interim superfederi, cum magna differentia sit inter unum defectum, & alterum, atque aliqua resultare videtur suspicio, ex eo quod appellans alia acta transportare neglexerit.

Adhuc tamen isto secundo casu, in quo res sit in fieri, recte proceditur cum aliqua parte actorum tantum, quamvis modica, quoties ex illis, bene, & ³⁷ concludenter convincatur id, quod per appellan-

tem prætenditur; Puta quia agatur de gravamine, quod resulteret ex aliquo incidenti, & sic alias quam, ad effectum infirmandi sententiam latam in negotio principali, de cuius affirmativa, vel negativa justificatione, constare debet ex toto processu; Ut (ex.gr.) pro frequentiori contingenti, habemus in materia attentatorum, de quorum revocatione, vel purgatione agatur, quoniam si prætendantur attentata, ob exequutionem factam intra tempus post interpositam appellationem, vel durante illius termino, Tunc eo ipso quod exhibentur coram Judice ad quem illa acta, ex quibus de hoc appareat, nemp̄ sententia, ex cuius tenore pateat de ejus data, ac de appellabilitate, & de exequutionis actu, ex cuius tenore pariter pateat de tempore, unde convincantur attentata expectanda non est transportatio aliorum actorum, cum ita habeatur intentum, sive dicatur adimpletus ille finis, ob quem transportatio facienda est, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, decis. 311. par. 4. rec. tom. 2. dec. 76. 251. & 246. par. 11. rec.

Idque etiam in causis spiritualibus, vel ecclesiasticis, in quibus integra transportatio etiam irrelevantium requiritur pro forma, ut supra, quoniam id intelligitur in negotio principali, & ad effectum confirmationis, vel confirmationis sententiae, non autem super incidentibus, & præsertim super prædicto attentatorum.

Intelligenda tamen venit dicta regula, super necessitate transportationis omnium actorum, de illis, quae sint ipsius cause, non autem de aliis, quibus in causa diversa, quoniam si altera Pars prætendit, quod illa relevet, ad effectum, qui per ipsam prætendatur, debet esse de eis sollicita illa deducendo, potius tanquam jura, quam tanquam acta, Gregor. & add. decis. 55. & 300. decis 24. par. 10. Arguel. decis. 104. Bich. decis. 290. & 468.

Hinc disputari solet, an, & quando causa dicenda sint diversæ, vel potius earum identitas accedat; Idque pendet à verificatione triplicis identitatis, quæ copulativè requiritur, personarum scilicet, rei, & actionis, adeo ut una diversitas ad hunc effectum sufficiat, quæ oratur ex dispositione juris, quamvis apparenter & de factolis videatur esse super unica re; Ut puta (ex.gr.) si contendatur de duobus beneficiis, quæ non sint invicem perpetuò unita, sed tamen ex Apostolica dispensatione soleant concedi uni persona; Puta, juxta frequentiorem proximam Hispaniar, de dignitate, & de canonicatu eiusdem Ecclesie, quoniam si super illis vigetis inter duos provisos, seu aliis de eorum pertinentia contendentes; Adhuc tamen ratione diversitatis beneficiorum dicuntur due cause diversæ, nisi identitas provisionis, vel alia circumstantia, omnimodam identitatem suadeat. Cels. decis. 82. & supra dec. 18.

Prout etiam opus non est transportare illa jura, quæ verbaliter tanquam producta fuerint, adeo ut non adsit illa formalis produc̄tio, per quam illa iura dici valeant effecta de actis, cum tunc dicantur potius jura, quam acta, idèoque illa pars, quæ prætendit quod faciant ad causam, potest illa transportare si vult, add. ad Gregor. decis. 59. Royas decis. 293. decis. 147. par. 6. rec. Bich. decis. 466.

Dari solent quoque à Scribentibus aliæ limitationes insinuatæ dis. præcedenti; Super conclusione justificationis, quæ ex actis facienda est; Et inter quas, illa præsertim ad rem bene adaptatur, quan-

dò scilicet transportatio fieri non valeat, ob impedimenta praesita per alteram Partem, sive ob aliud eius factum culposum, ex regula quod in odium impeditis, actus habendus est pro facto, ut in rubrica citationis, & alibi quoque advertitur, Buratt. & add. decis. 335. & 405. dec. 18. par. 5. rec. decis. 75. par. 6. decis. 35. par. 10.

Quo verò ad alias limitationes, eodem discursu præcedenti insinuatas, circumspectè procedendum est, neque de facilis earum verificatio est practicabilis, quoniam Aliud est agere de justificatione sententiae ad effectum sustinendi eius validitatem, vel exequutionem, quæ eius vigore facta sit, sive ad effectum videndi, an probet, vel non probet id, quod in ea continetur pro alio incidenti, sive pro aliquâ consequentiâ, quæ exinde resulteret; Aliud verò ubi principaliter in gradu appellationis agatur de confirmatione prætentis per appellantem, quoniam tunc, si ex facto tertii, vel ex alio cau acta haberet non valeant, sibi vel fortuæ appellans imputet, cum in dubio præsumptio affiat justitia, ac validitat sententiae, donec docetur de injustitia vel nullitate, per illum, qui unam vel alteram allegat; Et consequenter, magna differentia est inter unum effectum & alterum, dum in eo, impedimenta etiam non culposa profundit; In isto autem no-

cent.

Si vero casus præbeat, quod aliqua acta, alia forsan occasione, jam existant penes Judicem ad quem tunc opus non est, ut eadem denud transportari debant, quamvis agatur de causis ecclesiasticis, in quibus integritas, ut supra requiritur pro forma, cum esset implementum mere inane, ac superfluum, ideoque sufficit, quod transportentur illa quæ defundit.

Et quoniam frequenter Judex appellationis, procedere solet tanquam in prima; Vel vigore clausule quam & quas &c. Vel quia per Signatariam, causa commissa sit tanquam in prima, in relatione Curie dis. 31. Hinc disputari solet, an actorum transportatio necessaria sit; Atque pariter, eo modo, quo in omnibus (adeo ut nil in iure pacificum adesse videatur) non modica opinionum diversitas dignoscitur; Ea tamen videtur probabilior, magisque recepta distinctio, quod; Aut agitur de causa, qua coram Judge secunda, vel ulterioris instantia, verè, & de facto introducta sit per medium appellationis à sententia, vel ab alia provisione alterius Judicis à quo; Pro meliori autem directione, sive ob manifestam infectionem eius quod alter Judex gestis tanquam per speciem circumscriptiois, procedatur tanquam in prima, adeo ut id proveniat ex quadam fictione juris; Attenta verò naturali veritate, ille sit Judex appellationis, per cuius medium, causa coram eo introducta sit; Et tunc indefinitè actorum transportatio requiratur; Secus autem si agatur de causa diversa, de qua, ex aliquo accidenti tanquam in prima agatur, coram eo qui sit potius Iudex secundæ, quam primæ instantiæ, Gregor. & add. decis. 320. add. ad Buratt. decisione 405. decisione 35. par. 10. rec. Penia decisione 1273.

Integritas, in dubio præsumitur, quoties ex actorum facie, de contrario non appareat; Clarius autem illa probata dicitur, quando Notarius actuarius Judicis à quo, de illa testetur; Quamvis causus sit, & commendabilius, ut hanc attestationem, explicitè faciat, asserendo scilicet, quod illa est copia omnium, & singulorum actorum, ut ita tollatur

tur omne dubium, vel occasio tergiversationis; non tamen praeceps, ac de forma ista expressio necessaria est, ut à nudis practicis praetendi solet, quoniam eo ipso quod Notarius actuarius, ad quem pertinet conservatio, & custodia actorum originalium, testatur, quod illa est copia actorum illius cause, quamvis non dicat omnium & singulorum adhuc integritas potius est praesumenda cum in dubio praesumendum sit, quod actus sit initus validè, ac eo modo quo iniri debet, quoties haec praesumptio per contrarium probationem, vel fortiores praesumptiones non elidatur, *Gregor. & add. doc. 59. decif. 14. par. 6. rec. decif. 204. par. 7. add. ad Buratt. decif. 313.*

Sexta est inspeccio, super effectibus, qui ex applicatione resultant, Inter quos est ille precipuus, ut suspensat sententiam, adeo ut habenda sit perinde, ac si non esset latra, *Cavaler. dec. 242. Buratt. & add. doc. 430. & p. 45.* Ideoque tollit vel impedit jurisdictionem Judicis, qui eam protulit, ut tanquam functus officio suo, non possit amplius in ea causa, vel in eiusdem sententiae exequitione se ingerere, citra vitium attentatorum, super quorum incursum de isto effectu frequentius agi solet, Cum etenim ut supra in attentatorum rubrica advertitur, eatus attentata intret, quatenus agatur de causa, vel de sententia, qua sit de sui natura appellabilis, & non alias, cum in causis exequitivis, vel quæ alias non admittant applicationem suspensivam, iste effectus suspensio non intret, Hinc proinde, quæstiones cadunt super natura, seu qualitate causæ, vel sententia, an scilicet & quando hanc applicationem suspensivam admittat, necne.

Hujusmodi vero quæstiones apud antiquiores disputatae fuerunt, potius de jure, ac in abstracto; Apud Moderniores vero pro forensi praxi, præterim Curia Romana (ut penè generaliter in omnibus aliis materiis) revera luns potius facti & applicationis, quam juris, & sic potius in concreto, quam juris, & in abstracto, cum pene omnes juris quæstiones, quæ apud nostros majores adeo ambiguæ fuerint, cum tanta opinionum scissura, hodie sòlope sint, dum per decisiones Tribunalium, una opinio recepta est pro regula, altera vero retinetur, ac servit pro limitatione; Ideoque omnes disputationes percutiunt applicationem, ex singulorum casuum circumstantiis regulandam, ut alibi pluries advertit, semper tamen oportune, cum istud principium præ omnibus aliis, ante Judicium, & consumentum oculos haberi debeat.

Statuta igitur, vel praesupposita, superioris insinuata regula generali, quod omnes causa, vel sententiae sint appellabiles ad utrumque effectum, præter illos casus, qui in jure exceptuati reperiuntur; Quatenus ad exceptiones seu limitationes pertinet, illi ex triplici fonte manant; Primo nempe ex dispositione juris civilis vel canonici; Secundo ex scripto vel non scripto jure particulari seu municipal, ac etiam in aliquibus casibus ex quadam jure non scripto universal; Et tertio ex Partium conventionibus, sive ex Principis concessione, vel derogatione, sive alterius Magistratus, qui ad id potestatem habeat.

Sub prima specie exceptionum resultatum à jure communis ad hunc effectum, non denegandi scilicet substantiam applicationis in genere, sed solum distinguendi unum effectum devolutivum, ab altero suspensivo, Non veniunt decreta interloquitoria emanata super his, quæ ordinem judicij vel compilationem processus respiciunt, ut supra adverti-

tur, Ita etenim participant de utroque extremo; Aut enim gravatoria non sunt, & non admittunt applicationem, etiam in devoluto; Aut sunt gravatoria, & illam admittunt simpliciter, ad utrumque effectum, ac etiam ad alterum maiorem, ut appellatio trahat totam causam, ut suprà insinuatur.

Idem quoque ubi de re judicata agatur, sive de tribus conformibus, aut de causa per Principem commissa applicatione remota, quoniam regulariter non admittunt applicationem in genere.

Ac etiam dici potest de sententiis, vel decretis 48 provisionalibus, cum in eis eadem intrare videantur quæ in interloquitoria dicta sunt, cum eodem dilemmate, quod aut gravant, aut non gravant, ut supra.

Quatenus itaque pertinet ad illas causas, quæ recipiant quidem applicationem devolutivam, excludant autem suspensivam, adeo ut Judicis à quo præservata sit jurisdictionis, atque legata non sint manus procedendi ad exequitionem, applicatione non obstante; Illa in primis habet regulam generalis, (quæ tamen generalem applicationem apta non est recipere cum ex facti qualitate eius applicatio pendeat,) ut scilicet generaliter applicatio suspensiva non intret in iis, quæ celeritatem desiderant, adeo ut periculum sit in mora, quæ irreparabile prejudicium causet, *Scaccia de appell. quest. 17. limit. 7. 19. & 38. Surd. de alim. tit. 7. privil. 60. add. ad Magon. dec. Lucen. 15.*

Ex hac autem generalitate provenit determinatio nonnullarum questionum, super quibus, inutiliter, aliqui antiquiores multum certaverunt in abstracto; Puta in causa doris constituenda, vel restituenda, an censenda sit, necne exequitativa, adeo ut suspensivam applicationem rejiciat; Quamvis enim non desit consueta opinionum scissura; Attamen regula est pro applicatione ad utrumque; Limitatio autem resultat ex dicta exceptione generali, quando scilicet res desideret celeritatem, adeo ut dilectiones, quas applicatio producit, irreparabile causent prejudicium; Puta quia puella cui dos constituenda est, seu vidua, cui est restituenda, cum qua virum habere valeat, vel respectuè congruan obtinere provisionem, honestatis periculo subjebeat, sive quod ob eius ætatem, viduitatem pati coheretur, *tit. de dote. dec. 59.*

Ita pariter in materia alimentorum, cum quorum termino regulari videtur legitima, utpote eorum loco subrogata, (quidquid nostri variant,) cum eadem distinctione procedendum est, quod scilicet, ubi agatur de presentibus, vel de futuris, quæ Judicis officio, vel gratia commiserationis debita sint illi, qui non sit aliundè provisus, & tunc ex eadem ratione celeritatis, denegetur applicatio suspensiva, ex vulgari dictorio quod venter non patitur dilatioem; Secus autem ubi depreritis agatur, vel etiam de futuris, quæ jure actionis, vel conditionis, debentur personæ diti, seu aliundè provisus, *Surd. de alim. tit. 8. privil. 60. Buratt. dec. 208.* Eademque distinctione intrat in legitima, *tit. de feud. dec. 19. & tit. de legitim. dec. 19.*

Ita quoque in materia locationis, vel conductio- nis, quoniam licet lex eam appellat materiam summariam; Attamen, ex probabiliori, magisque recepta sententia, quoties agatur de expellendo conductorem, ac de restitutione rei facienda locatori, vel nove conductori, regulariter intrat

appellatio suspensiva *tit.de locat. disc. 19.* Cum moderatione tamen resultante à dicta limitatione generali celeritatis, quam ratio commercii pro facti qualitate inducat; Puta ubi agatur de domibus habitationis definitis, in illis praefertim regionibus in quibus usus habeatur, illas locandi, & conducendi ad annum, sive in quibusdam statutis temporibus extra quæ non defacili domus ad habitandum reperiatur, quoniam tunc dicitur materia, qua desideratur celeritate, dum alias ipse locator, qui propriam domum habitare velit, vel novus conductor, cogereturflare sine habitatione ita magnū ac irreparabile prejudicium; Quod etiam adaptabile est aliquibus prædiis rusticis, vel etiam urbanis, quibus eadem congruat ratio, puta pratis, seu alias destinatis ad pascua animalium statuto tempore, vel horis destinatis conservationi frugum, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ex qua manat conclusio, quæ ex sola traditione, ignorando caufam quare, manat per ora pragmaticorum, quod à decreto seu mandato de evanendo, atque (ut vulgo dicitur) de extrafactando, non detur appellatio suspensiva, quoniam vis non est in verbis, sive in decreti vel mandati formalitate, sed in dicta ratione, qua non intrante, nil refert quod Judex istum, evocationis, vel extrafactationis terminum adhibeat, cum similibus, quibus ista ratio adaptetur; Illud pre oculis habendo assumptum, quod lex non est imposita verbis, sed rebus, idèo non in verbis, sed in ratione legis immorandum est.

Ex ista quoque ratione manat decisio questio-
nis agitata per Canonistas, in materia electionis
ad praelaturem, vel ad alia munera, an scilicet quan-
do appellationem suspensivam admittere debeat
necne, *annot.ad Concil.Trid.disc. 32. tit.de paroch. disc. 6. & segg. Passerin.de elect. cap. 32.* Eademque
ratio impulit Sac. Concilium Tridentinum ad pro-
videndum, ut illa appellatione quæ in concursibus ad
parochiales conceditur, ab irrationali judicio E-
piscopi, non debeat interim retardare exequitionem
præelectionis, ob præjudicium scilicet quod resultaret curæ animarum, quodque oves remane-
rent sine pastore, *locis supra citatis.*

§ 3 Ex etiam quod ab eodem Concilio disponitur,
super decretis, quæ per Episcopum fiant in visita-
tione; Super iis tamen quæ concernant correctionem
morum, vel alia quibus eadem congruat ratio,
quæ istum effectum producit, non autem ipse a-
ctus vel ipsum tempus visitationis, ut vulgus magis
communiter opinatur, cum similibus, *tit. de Re-
gular. disc. 22. annot.ad Concil.Trident.disc. 5. & in
Miscellan. Eccl. disc. I. num. 73.*

Ex juris communis, non quidem expressa dispo-
sitione, sed ratione vel intentione, manat magis
communis, magisque recepta opinio, quæ vulgo
refertur *Angelo*, contra opinionem *Alexandri*, quam
Rota singulariter (ne seio quare,) retinere profite-
tur, ut pro legatis competat via exequitativa, cum
denegatione appellationis suspensiva; Non quidem
ex aliquo privilegio, quod legatis in genere
lex tribuerit, cum id nullibi cautum reperiatur,
sed potius ex ea congrua ratione, quod cum hares-
scriptus in testamento, in quo legata continentur,
ex illa scriptura suum jus metiatur, eaque quoad
eum, sit probatio probata, & veritas irrefragabilis.
Si quicunque anchoris judicium, quoad eum, sit lex præci-
sa, vel species rei judicata, Hinc proinde calumnio-
sa remanet appellatione quam ipse interponat; Qua-
re ubi ista ratio non intret, tunc intrare non debet
conclusio, quæ ab eo manat, puta si legatorum

Card.de Luca de judiciis & judicialibus.

questio sit cum intestato herede, qui per inofficiosi
querelam, sive ex defectu solemnitatum, aut alias
testamentariam dispositionem impugnando ex le-
gis beneficio hereditatem obtinuerit, surgeatur ta-
men ad legata, quæ etiam ab intestato quandoque
debentur, cum non intret dicta ratio, ideoque in-
trare non debet iste effectus.

Sive ubi etiam cum ipsomet testamentario, qui
tamen compatibiliter, & citra impugnationem ju-
dicii proprii auctoris, probabilem habeat caufam
se opponendi; Vel quia scilicet agatur de legatis
contentis in codicillis, vel in alia dispositione diver-
sa ab ea, ex qua ipse suum titulum hereditarium
metitur, unde propterea non intret inconveniens,
quod idem actus acceptetur & impugnetur; Aut
quod sit questio super interpretationem, an debeatur
majus vel minus; Vel super aliquorum bonorum
comprehensionem; Aut super insufficientia hereditatis,
vel super competentia detractionis, seu lega-
tariorum contributo, cum similibus exceptioni-
bus quæ sint potius modificativa, quam impugna-
tiva; Atque ita generaliter in omnibus aliis casibus,
in quibus respectivæ ratio exigat appellationis sus-
pensivæ admissionem, vel exclusionem, *tit. de legat.*
disc. 6. & in aliis.

Ex iuri civilis expressa dispositione manat quo-
que rejectio suspensivæ appellationis, in omnibus
causis, vel interdictis possessoriis; Adipiscendæ;
Reintegrandæ; Et retinendæ possessionis, cum gra-
vamen reparabile remaneat in petitorio. *Scacc.de
appel. quest. 17. limit. 6. decis. 51-par. 5. & 305. p. 6.
rec Franch-dec. 288.*

Diversa est autem dispositio Juris Canonici,
quod scilicet, etiam hæc iudicia possessoria, appella-
tionem ad utrumque effectum admittunt, adeòut
possessorum, & petitorum in hac parte non vide-
antur differre, *dec. 131-par. 10.rec. Danozett.dec. 774
Otrob. dec. 236.* Duobus tamen casibus exceptis;
Primo: nempe circa illud possessorium adipiscen-
dæ, quod practice associationis dicitur, super illa
scilicet associatione familiæ, quæ per judicem tri-
buitur illi, qui vigore clausule constituti, vel pacti
habeat facultatem capendi possessionem propria
auctoritate; *Menoch. de adipiscen. remed. 5. decis. 857.
par. 4. devers. atque ita passim & in dies practicat signa-
tura iustitiae a deo ut sit pandus iam sopus.* Et secunde
in illo summarissimo possessorio retinendæ, quod
Hispani vocant interim, in Curia vero dicitur ma-
nitentionis, quoniam licet non desint contradicen-
tes; Attamen in praxi in utroque remedio, extra
controversiam id receptum est, *Royas decis. 302.
Bich. dec. 381 dec. 20 p. 10.rec. & sapient cum pariter sic
hodie absolum.*

Cum ea tamen moderatione, ut utrumque re-
medium concedatur in forma summaria, & per de-
cretum interlocutorum, secus autem ubi servaretur
forma judicij ordinarii, atque procederetur
per sententiam distinctivam, juxta pariter recep-
tam distinctionem, cum qua hodie in praxi proce-
tur, *dicta dec. 20 p. 10.rec. & infra disc. 44. & est di-
stinct in praxi receptissima.*

Id autem congruum habet rationem; quoniam;
Quatenus pertinet ad primum remedium associa-
tionis; Eatenus illud dicitur exequitativum, adeòut
plerique crediderint, ut neque citatio Partis *57*
requiratur, ut infra in rubrica hujusmodi
judiciorum advertitur, quatenus addeatur
in forma extrajudiciali, & ex quadam ur-
banitate Judex; pro concessione eius fami-

lia, per quam occurrit resistentiis, & inconvenientibus, Secus autem, ubi in forma judiciali; Adeo ut aliquorum sensus fuerit, quod citare Partem intercessam, est malum consilium, atque prejudicaret; Sed quoniam probabilis apud moderniores, citatio patitur, non solum commendatur, sed reputatur omnino necessaria; Ita que opinio servatur in praxi, adeo ut etiam in hoc iudicio de facto habeantur ille formales disputationes, que in aliis iudicis habentur; Hinc proinde dicta distinctio actus judicialis vel extrajudicialis digneatur à dicta forma seu modo procedendi, ac decernendi.

Et quoad alterum interdictum retinenda; Non strati maiores illud distinguunt in plenarium & summarium, ut huic posteriori, quod summarissimum multi dicunt, istud privilegium competit; Verum in Curia praesertim illa distinctione ab aula recessisse videtur, quod scilicet in praxi non audiuntur alii termini nisi petitorii, & possessori, istud vero posterius, generaliter explicatur cum termino manutentionis; Ac propterea praedicta distinctio impli-⁷⁰cit pender ex hoc modo procedendi, quasi quod procedendo per sententiam distinctivam, qua presupponit ordinem iudicij ordinarii, cum servatione terminorum substantialium, dicatur possessorum plenarium, contradistinctum a summario, in quo procedatur in forma iudicij exequitativi.

Alia item ratio, utrique ad ipsius considerari solet, quod scilicet, quando proceditur per sententiam distinctivam, iudex functus est officio suo, neque amplius in eius potestate est illam retractare, atque contrarium decernere; Ubi vero per decrevum interloquitorum, potest quandocumque reponere dando etiam manutentionem alteri parti; Unde propterea inter Practicos solvit, vulgare dictum, *bodie mihi, cras tibi; Sive bodie uni, & cras alteri;* Et per consequens non videtur adeo prejudiciale.

Atque hinc sequuntur est, (ut etiam infra in dicta rubrica Interdictorum advertitur,) quod hodie in praxi moderna, ab aula recessisse videtur remedium reintegratorum, quod est adeo frequens apud antiquiores, quibus istud manutentionis videtur penitus ignotum, ob praestantiam differentiam, quod illud de jure canonico est appellabile, istud vero non.

Quamvis autem in Urbe & in Statu Ecclesiastico immediato, etiam in foro laicali, jus canonicum civili prevaleat, preterquam in Urbe, quoad cives & incolas, ac districtales laicos, qui sint subditii eius Statuto disponentes, ut vivi debeat cum iure civili; Attamen in hujusmodi interdictis possessoriis, etiam in illo adipiscenda, quod generaliter, sub termino seu vocabulo immisionis, a Practicis explicatur, sive sit illud quod resultat ex interdicto Salviani, Sive alterum ex remedio legis finalis C. de edict. dy. Adrian. tollend. quod conceditur heredi universali testamentario immediato, vel mediato; Et quod ad instar conceditur feudatario vel emphyteute in vim investiture; Aut ex interdicto quorum bonorum, quod conceditur universali successori ab intestato, Reintegrata est dispositio iuris civilis, per quamdam Constitutionem, que Aegidiana dicitur, ordinata sed licet per Cardinalem Aegidum in provincia Marchie, juxta unam opinionem, sive iuxta alteram probabiliorem, in universa Italica citione temporali legatum Sedis Apostolice tunc residentis in Civitate Avenionensi, dum Summi Pontifices, Sixtus IV. & Paulus III. illam confir-

marunt; atque servari voluerunt in Urbe, & in universo Statu Ecclesiastico, unde adhuc habentur questiones, an capiat illum Statum, qui est extra Italianam, Avenionensem scilicet & Venetinum; Et an Beneventanam Civitatem; Sive an illas regiones, que dicuntur de statu mediato, ut sunt Regnum Neapolitanum, etc; Ducatus Parmae & Placentiae, & prius erant Status, seu Ducatus Ferrariae & Urbini in quibus etiam hodie post devolutionem, questiones cadere solent, an illa Aegidiana Constitution, tam ad hunc effectum appellationis, quam ad alterum solemnitatum in contractibus minorum, ac alia per eam disposita locum habeat. *Cels. decis. 125. decis. 52. & 117. p. 5. rec.*

Sed quoniam ista Constitution edita fuit ab Aegidio tanquam Legaro, & Gubernatore temporali; Atque juris regula est, quod confirmatio, vel etiam localis extensio, non alterat naturam rei confirmatae; Hinc proinde consuetus leguleicus indiscretus rigor introduxit, in Curia & in universo eodem Statuto, propositione, cujusqua hucufq; in praxi vivitur, ut ista dicenda sit lex laicalis facta per Papam tanquam Principem temporalem; Et per consequens ut locum non habeat in illis causis, in quibus admixta clericorum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, sive a foro laicali exemptarum, dum subjectio legum regulatur a foro, ex propositione, quod paria sunt forum sortiri & legibus ligari; Sive persona ecclesiastice sint Rei, & vieti sunt Actores & viatores, ob aequalitatem in iudicio servandam; *Buratt. & add. decis. 16. decis. 20. par. 10. decis. 25. 1. par. 11. add. ad Gregor. decis. 5. 81.* Quinim etiam inter laicos, atque de bonis laicalibus quæstio sit, ubi causa agatur in foro ecclesiastico; Et quod magis est, maioremque comprobatur hujus leguleici rigoris exorbitantiam quamvis causa agatur in foro laicali, & inter laicos de bonis temporibus, ac indifferenteribus, quæ tamen sint de directo domino Ecclesiistarum, vel locorum ecclesiastico-rum, ut in bonis emphyteuticis, vel feudalibus, aut livellariis contingit, quamvis ipse dominus directus non sit in causa, nullumque habeat interessus, vel timet prajudicium, *Bich. decis. 136. & 274. Orib. decis. 170. decis. 89. par. 10. rec. & sepius.* Res quidem apud aliquos sensatos irrisione potius digna.

Ista vero restrictio, magnas producit lites, ac involvit questiones attentatorum, adeo ut videatur calumniarum pabulum, & fomentum (nescitur ex quo spiritu vel ratione;) Unde frequenter continet, quod Ecclesia & clericci, ut plurimum Actores, & viatores, ita remanent deterioris conditionis, quam sint laici; Ideoque mirum est, quod ad huc inconvenientia non reflectantur, abolent scilicet hujusmodi cabalas & calumniarum fomenta.

Super secunda vero specie illarum causarum, que præter dispositionem juris communis, canonici, vel civilis, efficiuntur sive exequitativa, sive jure particulari, seu municipaliter; Certa regula generalis statui non potest, cum pendeat a facti circumstantiis, id est ab ipsarum legum existentia, & tenore; Et super quibus etiam intrat dicta inspectio porteflatis, quando scilicet leges laicales respectu personarum vel causarum, aut bonorum habentium ecclesiasticam qualitatem attendi debent.

Ac etiam, quoad ipsasmet leges ecclesiasticas, in his specialibus terminis appellationis, intrat questio, quæ generaliter supradicte in rubrica juris seu legum insinuata est, circa Constitutiones synodales, vel provinciales,

an appellationis suspensivæ beneficium tollere possint; Et quamvis consuetà opinionum varietas dignoscatur, magis tamen recepta videtur negativa, pro affirmativa ut posset tolli Lancelot. Garz. Gonzal. & alii relati per ad. ad Buratt. deci. 139. Sperell. deci. 85. in principio; Contrarium pro negativa Gregor. deci. 139. Royas deis. 138. & cum hac opinione procedi videtur in praxi; & suprà disc. 35.

De hujus autem appellationis denegatione, quæ resultat ab auctoritate Principis ob cause commissione; appellatione remota, agitur in relatione Curiae occasionie agendi de Tribunali Signatura Gratia; idèque ibi videri potest, ne idem plures repetatur, in relatione Curie disc. 30.

Et de altera denegatione, quæ resultat à Partium conventione, nempè ab obligatione camerale, vel à garantia, aliisque paucis exequutivis, agitur infra in rubrica judicij exequutivi in actione personali, infra disc. 42.

In plerisque item casibus, quædam universalis consuetudo ab humani commercii ratione inducra, istum quoque produxit effectum, denegationis appellationis suspensivæ; Puta in literis cambii, ac etiam in cedulis bancariis, & in illis parvis schedulis, quæ loco pecunia numeratae currunt inter mercatores, & negotiantes vulgo nuncupatae pagherū cum similibus 2. eodem disc. 42,

Atque in Curia, Tribunal Auditoris Camera, in vim eius facultatum, exequutivè procedit, inter mercatores, & negotiantes hinc inde, non autem ubi unus sit mercator, alter vero sit privatus, in relatione Curie disc. 34. Ac etiam in omnibus illis casibus, in quibus ex localibus statutis, vel legibus inter illas personas exequutivè procedi potest, ibidem.

Multi alii præterea dantur casus, in quibus, cum eodem processu exequutivo proceditur, denegata appellatione suspensiva; Et præsertim in materia decimaru, Sive gabellarum; Ac etiam pensionum ecclæsticarum; Et generaliter ubi agatur de literis Apostolicis, ut infra in earum rubrica advertitur.

Verum quia in omnibus præmissis, aliisque similibus casibus, in quibus de judiciorum, vel causarum natura intret processus exequutivus, atque rejici debet appellatio suspensiva; Adhuc tamen illa intrare debet, ratione nullitatis, vel injustitiae; Ex vera, & recepta juris propositione, quod sententia nulla, vel injusta non debet exequitionem mereri, quamvis etiam agatur de vera re judicata, vel de tribus conformibus, cum semper id intelligatur, cum praefusso validitatis, vel justitiae; Hinc proinde in Curia frequentissime habentur, atque quotidianæ sunt disputationes, in una, vel in altera Signatura Gratia, & Justitia, super modo signandi commissiones appellationum in isto causarum genere, quoniam illa commissiones, quæ concernant causas de sui natura appellabiles, non cadunt sub hujusmodi disputationibus, dum citra controversiam signantur per Praeceptum Signatura Justitiae, ut vulgo dicitur sub banca; Sed quoniam de isto modo describendi, quodque Signatura judicio in hoc deferendum sit, agitur infra in relatione Curiae, occasione agendi de utraque Signatura, Gratia, & Justitia; Idcirco ad evitandam quo magis fieri potest superfluam earumdem rerum repetitionem, sibi videri poterit, in relatione Curiae disc. 30. & 31.

Soleat tamen de his quoque disputari in Rota, aliisque Tribunalibus, occasione agendi de atten-

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

tatis, dum istorum inclusio vel exclusio, quandò de iis agatur, quæ resultare prætendatur à gestis post interpositam appellationem, vel pendente termino ad appellandum ab hoc penderit, Siè ubi contentio sit de judicio possessorio manutentionis super valida vel invalida exequitione, quæ possessionem ab uno abdicaverit, atque in alium transfluerit, neene cum similibus; Aut an rescriptum Signatura declarat causam appellabilem cum effectu retrotractivo, juxta ea, quæ habentur in dictis discursibus, in quibus de his Tribunalibus utriusque Signatura agitur.

Item in proposito appellationis denegandæ post tres conformes, illud in Tribunalibus secularibus 67 Regni Neapolitani considerabile videtur, quod si agatur de tribus conformibus Judicium, seu Curiarum illorum Baronum, qui ex privilegio habeant cognitionem trium instantiarum, sive ut ibi dicitur, habeant primas, secundas, & tertias causas; Adhuc tamen iste tres sententiae conformes, pro una tantum habenda sunt ad effectum facultatis appellandi ad Regia Tribunalia. Fab. de Ann. confl. 70. & de quo Apont. de potestate Proreg. tit. de diversi provis. §. de donis.

Disputari etiam solet, an admissio appellatio- nis, quam faciat, Juxta à quo, reddat causam appellabilem, quamvis alias de sui natura non esset talis; Et pariter non deest solita scissura opinionum; Probabilior autem, magisque recepta distinctio ea est, quod aut dilatio est conditionalis, putà cum clausula si & in quantum &c. Et tunc non alteret naturam sententie; Aut vero est pura, & tunc, operetur quidem dictum effectum alterativum quoad ipsum judicem, ut sibi ipsi sit manus ligasse cœnatur, dum agnovit, atque declaravit causam esse appellabilem, idèque quidquid cum eius auctoritate gestam est, reputandum videtur attentatum; Verum id non præjudicat victori, quin coram Ju dicice ad quem, sive in Signatura petere valeat moderationem inhibitionis, vel quod commissio signari debeat cum clausula præservativa exequitionis, denegando effectum suspensivum, cum esse non debeat in facultate Judicis hujusmodi admissione, quæ ex ignorantia, & quandoque ex malitia fiat, tollere jus Partis, atque declarare appellabilem illum causam, quæ vero non sit talis.

Demum quoad septimam, & ultimam supra distinctionem inspectionem, quomodo scilicet Juxta ad quem sive appellationis se regulare, vel se contineare debeat, in sententiando, sive in procedendo; quatenus pertinet ad ordinem judicij, pro senten- tiae, aliorumque aëtorum validitate, generaliter procedunt eadem, quæ in Iudice prime instantia habentur, cum hoc respectu ipse in sua instantia easdem faciat partes, vel figuram, quas in sua facit primus, & sic respectivè in eo qui sit tertius.

Quoties tamen agatur de causa ordinaria & ap- pellabili, cuius cognitio simpliciter sibi commissa fuerit, pro determinatione negotii principalis; Se- cundus autem ubi de causa summaria, & exequutiva, in qua Signatura vobis fuerit respondere de clausula translativa; Putà si quid exequendum; Vel confito quod sit locus Agidianæ; Sive confito de tribus, cum similibus re scriptis suspensivis recentis in dicta rubrica Signatura justitiae; Cum tunc in ista parte verificationis clausula, procedendum non sit cum eodem processu, quem Iudex prime instantie ser- vavit, vel quem servare deberet ipse Iu- dex secundæ in determinatione negotii principalis, aut super confirmatione vel infir-

DE IUDICIIS

172

matione eius, quod alter Judex sententiavit, vel de-
crevit, dum in hac parte, munus, vel figuram ex-
equitoris, juris, gerere videtur, ideoque summaria
cognitio sufficit.

Praesupposita itaque legitima transportatione
actorum, atque servatione illorum terminorum,
qui pro natura, seu qualitate causae servari debent;
Quatenus pertinet ad modum sententiandi; Verè,
& propriè partes Judicis appellationis, vel ulterio-
ris instantias sunt confirmandi, vel infirmandi id
quod alter Judex fecit; *Scaccia de appell. quest. 10-*
num. 17. & seqq. cum aliis de quibus infra. Quoties
non contingit, quod in negotio principali gerat
potius partes Judicis prima instantia, ut sequitur
in casu in quo, causa ad eum devoluta sit per ap-
pellationem legitimè interpositam ab aliquo de-
creto interloquitorio gravante, ut supra.

Quare regula est, quod sententia lata contra a-
liam sententiam, continere debet istius revocatio-
nem, si minus invalida reputatur. Nisi prioris nulli-
tatis adeò clara & certa sit, ut per implicitam cir-
cumscriptiōnēm, tanquam in prima pronunciatiōnē
fuerit, *Cavaler. decif. 3. Buratt. decif. 59. decif. 188.*
par. 5. rec. decif. 305. par. 6. rec. 26. & 303. par. 7.
Bich. decif. 370. & 408. cum aliis de quibus infra, & in
bis habentur declarationes.

Clarissimus vero, ubi ex Signature judicio id pro-
veniat, unde propter causa commissa sit cum tali
clausula, que explicitè, vel virtualiter id importet,
quoties agatur de sententia infirmante vel revo-
cante id, quod per Judicem prioris instantiae ge-
stum sit.

Ubi vero agatur de approbatione, vel confirmatione; Tunc duplex intrat inspectio; Primo nempe,
an confirmare possit in pluri; Puta quia Astore pe-
tente centum, & Judice decernente quinquaginta,
possit alter Judex appellationis decernere integra
centum; Et secundò posito quod prior sententia sit
justa, sed aliquo labore vitio nullitatis circa ordinato-
ria, vel etiam sit injusta, quia excessiva in parte,
an tenetur præcise Judex appellationis illam infir-
mare ob dictum assumptum, quod eius partes sunt
in confirmando, vel infirmando; Vel possit refor-
mare, sive procedere tanquam in prima, validè de-
cernendo idem, quod alter Judex invalidè, licet ju-
ste decreverat.

Quatenus pertinet ad primum punctum; Regu-
la est affirmativa ratione adhesionis, qua appella-
to concedit, quod scilicet quamvis ipse non ap-
pellaverit, attamen possit adhævere appellationi in-
terposita per alteram Partem quam impedit ne sen-
tentia transeat in judicatum, ideoque sicuti appel-
lanti liberum est petere confirmationem, ita appella-
to petere supplicationem.

Et quamvis DD. pro consuetis legalibus subti-
litatibus, vel superstitionibus id restringere soleant,
quatenus nempe adhesione infra tempus ad appellan-
dum facta sit, ut ita speciem appellationis redoleat;
Ac etiam quatenus appellatione simpliciter interpo-
sa esset; Securus autem si in parte & paribus odiosis,
acceptando partes favorabiles; Attamen Curia Ro-
mana, non de facili immoratur in his rigoribus,
sed commendabiliter, iustitia, ac veritatis substi-
tutiam attendit; Ideoque ubi de iustitia videatur,
quod supplicationi locus esse debeat; Tunc rectè Ju-
dex appellationis id faciet. *Surd. decif. 143. Gregor.*
& add-dec. 223. Rovit pragm. 1. de appell. Scacc. qu.
17. limit. 2.

Quo vero ad alterum punctum, proceditur cum

distinctione, quod; Aut nullitas est clara &
certa, atque de ea exprestè oppositum est in actis in
principio cause cum protestatione, ut ante omnia
procedi debeat ad confirmationem, & ne altera Pars
audiri valeat, nisi renunciet illis actis nulliter gestis,
atque expensas reficiat; Et tunc Judex appellatio-
nis teneat annuere petitis, neque possit alia age-
re; Aut vero nullitas est probabiliter dubia; Sive de
illa non est oppositum, nisi in fine post causam in-
structam, & discussam coram Judice ad quem; Et
tunc licitum sit unico contextu, atque in eadem sen-
tentia, infirmare primam tanquam nullam, sed jux-
ta eius conformitatem sententiare, tanquam in pri-
ma, sive illam reformare; *Coccin. decif. 206. add. ad*
Gregor. decif. 176. Seraphim. decif. 857. & 878. Bich.
decif. 468. 511. & 552. decif. 380 par. 9. rec. & in a-
*lis. Itaque est frequentior praxis, (& laudabiliter
quidem) cum abhorri debent hujusmodi inanes
circumcisus, neque de facili admittendis sint legales ri-
gores, vel formalitates utpote quandam speciem
superstitionis redolentes pro calumniarum fomen-
to.*

Obligant item aliqui appellantem infra superius
enunciata tempora, qua fatalia nuncupantur, non
solum ad transportandum acta, sed etiam ad ulte-
riorem prosequitionem usque ad sententiam, adeo
ut sit sollicitus de cause terminatione; Verum in
Curia, in qua non admittitur dispositio juris civi-
lis super pereemptionem instantie, sed proceditur
cum iure canonico, quo attento instantia est perpe-
tua; Vel nunquam; Vel nihil raro datur casus
rei judicata, ob hujusmodi desertionem, cum suffi-
cient tales quales diligentia, neque ex facto Judi-
cis, qui causam non expediatis appellans tenetur, ut
alibi advertitur.

Et quoniam quandoque Judici ordinario, vel
delegato injungi solet, ut cum voto alterius Judicis
vel Tribunalis procedere debeat, ut frequens pra-
xis docet in Tribunalis A.C. vel in illo Vicarii, ac
etiam quandoque in Camera, vel in foro capitolino,
quod mandatur procedi cum voto, vel de voto Ro-
te; Cadere solet quæstio, an ab hoc voto, quod per
Rotam datur publicè, prævia unius, vel plurium
decisionum editione, licitum sit appellare; Proba-
bilior autem, magisque in praxi recepta est opinio
negativa; Et rationabiliter quidem, quoniam effec-
tare processum in insuitum, ac propter ea sufficere
debet sucebunt facultas appellandi à sententia,
qua ad formam voti proferenda est. *Sarasin. feu-*
di 3. Iuli 1641. coram Pirovano, talisque est Curia
praxis.

De Restitutione in integrum adversus
rem judicatam; Ac etiam de reme-
dio nullitatum.

s V M M A R I V M.

De remedio nullitatis, & rei indicante, ubi cesset
illud appellationis.

Non competit illud restitutionis ubi competere
potest alterum nullitatis, quia non datur reme-
diū extraordinarū, ubi sufficit ordinariū.

3 De nullitate, agendo, potest opponi intra triginta an-
nos, sed excipiendo perpetuo.

4 In